

CONCIO VI.

QUA RATIONE DIABOLUS DOCEAT OMNEM FALSITATEM.

I. Docet mentiri. — II. Docet aliorum dicta vel facta mutare. — III. Docet excusare vel defendere peccata. — IV. Docet fingere. — V. Docet rem fucare. — VI. Docet pejerare. — VII. Docet simulare. — VIII. Docet calumniare.

THEMA.

Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Joann. XVI.

Vir doctus ordinis Prædicatorum, Robertus Holcot, in librum Sapientiae, lect. XI. scribit Galieum Normandiæ ducem occupata per vim Anglosaxonia deliberasse, qua ratione linguam Anglicam e terra illa eliminaret, et in suam Gallicam commutaret; mandasse igitur primo, ut nemo in aula sua fungeretur munere aliquo nisi Gallicam loqueretur, deinde, ut pueri ad scholas mittendi, non nisi Gallico instruerentur idiomate et per hoc addicerent Latinum. Videre mihi videor hic, auditores, principem tenebrarum, diabolum, qui non jure quidem sed vi et dolo occupat magna saltem ex parte mundum istum, qui post exortum evangelium Anglia seu Angelica terra esse et angelicam veritatis linguam loqui deberet. At vero improbus ille princeps, quia spiritus mendacii et pater ejus est, conatur omnibus modis eliminare linguam veritatis, quæ est angelorum, et introducere linguam falsitatis ac mendacii, quæ est dæmonum. Idcirco imprimis laborat ut qui extra Ecclesiam constituti, in aula quasi ipsius serviunt, uti infideles, Judæi et hæretici mendacii lingua utantur, nullo prorsus rubore aut timore: deinde, etiam fideles a teneris instruantur in hac lingua et mendaciis assuescant; quo tandem noxia ista et Gallica lue fœdior lingua totum perrepat mundum; et quia non una mendaciorum species est, sed complures, idcirco plures etiam mentiendi artes docet mille artifex. Quantum enim ex una parte contendit Spiritus docere veritatem, tantum iste ex altera contendit docere falsitatem. Ergo ut impostorem istum ejusque artes noscamus ac fugiamus, audiemus nunc quas mendaciorum artes doceat.

I. Tinctoriæ artem, quæ novit tingere pannos, e candidis facere nigros. Qua ratione, inquis? Quia docet mendacium pro veritate obrudere, asserere quod non est, negare quod est: album facere nigrum, et nigrum album, in animo eandem credere, sed voce nigrum asserere. Hæc veteres picturi mendacium, picam pinxere, a fronte albam, a tergo nigram, Pier. lib. XXIV. hierogl. Atque hoc est fundamentum et mater cæterarum falsitatum, men-

dacium videlicet, quod pro candido offert nigrum, pro luce tenebras, pro vero falsum, et quidem triplici fine; ad utilitatem alicujus, præsertim loquentis, ad jocum et ludum faciendum, ad perniciem alterius. Primum officiosum et malum, secundum jocosum et deterius priore, tertium perniciosum et pessimum, ac si perniciem magnam inferat, lethale est. Ad primum edoctus fuit Giezi, servus Elisæi, (quamvis etiam perniciose, in præjudicium heri sui mentitus sit) cum per mendacium extorsit argentum, et vestes a Naaman Syro; et cum post hoc interrogatus a domino suo: *Unde venis Giezi?* respondit: *Von ivit servus tuus quoquam*, IV. Reg. V. In promptu habuit mendacium, tum ad emungendum a Syro argentum, tum ad eludendum herum. Nimirum sicut erinaceus cum poma et pyra asportare in cubile suum vult, et caput et pedes habet: at cum a canibus vel homine deprehenditur, in globum se convolvit, quasi nec pedes nec os habeat. Ita non defuerunt Giezi os ad fingendum, pedes ad currendum, manus ad accipiendum, quod non debebatur. At cum ab hero de hoc interrogatur, nec pedes nec manus, habere videtur: *Non ivit servus tuus quoquam*. Verum quam fœde mentitus fuit, tam fœda eum lues mox corripuit, lepra inquam Naamanis, quam in se derivavit: quo modo is qui vestem emit, aut furatur ab eo, qui peste infectus est, pestem quoque secum domum refert. Ita enim qui in rem et commodum suum mentitur, una cum eo commodo fœdam mendacii lepram affert animæ suæ. Ad idem edoctæ erant obstetrices Hebræorum Egyptiæ, etsi non ad proprium, sed Hebræorum commodum, Exod. 1. Jussæ enim Hebræorum proles masculas interficere, reservarunt, mentientes Pharaoni Hebræas, nosse artem obstetricandi sibimet, et parere antequam ipsæ veniant. Tametsi enim in hoc laudandæ erant istæ obstetrices, quod ex commiseratione et Dei timore servarunt parvulos, ideoque a Deo remuneratæ sunt numerosa prole, et longæva ac divite progenie: in eo tamen quod mentitæ sunt, vituperandæ erant, quia peccarunt, cum omne mendacium ex natura sua intrinsece sit malum, ut repugnans veritati et in se turpe. Illis ergo mulieribus imperium Pharaonis: *Liberrime recusandum et moriendum erat potius pro innocentissima veritate*, inquit S. August. lib. contra mendacium, cap. XVII. Id quod fecit Anthimus martyr et episcopus Nicomediensis apud Metaphrasten. Cum enim a Maximiani imperatoris militibus ad necem quaereretur, eos hospitio simul et convivio excepit Anthimus, licet illis ignotus. Remotis mensis quaerunt milites ubi locorum indagandus esset

Anthimus. Quibus ille intrepidus: *Ego sum, inquit, Anthimus: quo vultis, dicite, libens sequor*. Obstupescit illi ob acceptam liberalitatem dixerunt se conficturos tyranno, non esse inventum Anthimum. At ille: *Hoc o viri, nefas est, nec cuiusquam vita mentiendi propugnari potest*. Ita suos convivas secutus ad martyrii palmam porrexit, eamque invictus obtinuit.

Nihilo magis licitum est mendacium jocosum; quia et ipsum turpe in omnium ore, magis tamen in ore clericum aut religiosi; quod quidam vir sæcularis ingeniose notavit in religioso itineris comite. Cum enim hic repente sæcularem compellans diceret: *En illic volantem asinum*, suspexit alter præproperis et nimium credulis oculis. Quem irridens ille: *O te simplicem*, inquit, *qui credas asinum volare posse!* Cui alter: *Ignosce mihi qui tuis verbis deceptus sum, nec mireris velim quod suspexerim: facilius enim crederem asinum volare posse, quam mentiri religiosum*. Cape tibi hoc. Pessimum est illud quod in aliorum perniciem tendit, quale fuit id excubitorum ad sepulcrum Domini, qui accepta a principibus pecunia sparserunt Christum a discipulis furto ablatum, quemadmodum a Pharisæis mendacii hujus architectis erant edocti, Matth. XXVIII. Hujusmodi deaurata mendacia (ut quidam vocat) crebra sunt in ore causidicorum et procuratorum, qui causæ iniquæ patrocinium suscipiunt.

II. Artem arithmeticam ejusque species, additionem, subtractionem, divisionem; multiplicationem, quia docet mutare aliorum dicta, iis addere, vel demere bifida lingua loqui et per hyperbolen rem augere, ex musca elephantem eudere. In primis duabus speciebus edoctam fuisse Evam cum serpentem sermocinantem putat Sanctus Ambrosius, lib. de paradiso, cap. XII. siquidem Dei præceptum non fideliter recenset. Addit, cum ait: *Et ne tangeremus illud*, hoc enim in Dei mandato non exprimitur. Subtrahit, cum ait: *Ne forte moriamur*, cum tamen Deus expressè dixerit eos morituros, si comederint. Unde Ambrosius: « Discamus, inquit, hinc nihil vel cautionis gratia jungere nos debere mandato. Si quid enim vel addas vel detrahas, prævaricatio quædam videtur esse mandati. » Verum nos lapsu matris nostræ non tam emendatam quæ pervertitur. Hinc enim tam proclives ad mentendum sumus, ut a teneris assuescamus fallere, nullo licet magistro, et dicitur, Psal. XXV. *Omnis homo mendax*.

Docet quoque dividere, hoc est, bifida lingua loqui: præsentem laudare, absentem vituperare. Hæc enim duæ linguæ, quasi filia e quidem gemellæ sunt mendacii, alterutram saltem oporteat esse mendacem, quando quis ex

eodem ore calidum spirat et frigidum. Refert Diodorus Siculus, lib. III. in australi quadam insula reperiri homines, qui divisam habeant linguam tamque volubilem, ut non humanos tantum sed avium etiam quoscumque imitari cantus queant. Quidquid de hoc sit, fides penes auctorem fuit. Nos verius asserimus artificium hoc et bifidam linguam esse hominis, de quo loquimur, bilinguis, qui inter columbas gemit, inter corvos crocitat: præsentem suavi, absentes inamæno carmine deprædicat. Et licet hoc artificio venari emolumentum aliquod moliat, plerumque tamen id non assequitur, et confusionem potius reportat, quia teste Ecclesiastico, cap. III. *Cor ingrediens duas vias non habebit successus*; sicut plerumque fit, ut qui duos lepores sectatur, neutrum comprehendat.

Docet et multiplicare, augendo rem per hyperbolen, aut per superlativos amplificando, v. g. ait quis vidisse se complures lupos in silva quadam; excipit hoc alius, et narrat aliis visos esse decem lupos, post hunc alius ait visos esse viginti: tandem crescit fama ad triginta et quinquaginta. At ubi tandem accurate res perquiritur, vix unus aut alter lupo, vel quid simile lupo visum esse comperitur. Ita peccarunt exploratores illi in Chanaan missi, qui cum vidissent ibi tres gigantes, filios Enac, nimirum Achiman, Sisai et Tholmai, giganteam illam staturam extenderunt ad omnes Chanaanæos: *Populus*, inquit, *quem aspeximus proceræ staturæ est*, cum tamen Chanaanæi ordinarie non essent proceriores quam Hebræi. Addunt amplificationes alias justo majores: *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac, de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur*, Num. XIII. rursum: *Urbes (eorum) magnæ et ad cælum usque munitæ*, Deut. 1. Quibus amplificationibus redegerunt populum ad angustiam ac pene redegerunt ad desperationem. Proinde abstinendum etiam ejusmodi hyperbolicis, quia si non semper mendacia, mendacii tamen propinquæ sunt, et multoties perniciosæ.

III. Artem fulloniam, quæ omnis generis maculas eluit e pannis. Docet enim suos discipulos diabolus quævis eorum dilectâ dexterrime excusare vel defendere, adeoque se purgare quidquid tandem commiserint. Docuit hanc ni fallor primos nostros parentes, qui aspersam sibi peccati maculam mox abstergere conati, culpam a se amoliti, aliis impegerrunt. Adam in mulierem, mulier in serpentem rejecit culpam. Ille: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, etc.* quasi dicat: *Si non dedisses hanc mihi decepticam, non essem transgressus legem*. Hæc vero: *Serpens decepti me*, quasi dicat: *Qua-*

re tu hoc animal intromisisti in paradysum? Absque hoc esset, non peccassem. Itaque in Deum pene omnem culpam exonerant. Et hinc est, inquit S. Gregorius, IV. moral. cap. XXIII. *quod hujus erroris ramus in humano genere ea illa nunc usque radice protrahitur, ut quod male agitur, adhuc etiam defendatur.* Quemadmodum enim felis, munditiei amantissimum animal, pelliculam suam lingua undique extergit, modo pedes anteriores, modo corpus reliquum delingit, fimetum denique suum quam potest diligentissime operit, et oculis ac naribus hominum subducit: ita fere student homines seipsos ab omni labe purgare, nævis etiam suis nitorem allinere, sordes abstergere, callidis defensionibus errorem operire. Hæc sunt folia illa ficus, quibus suam nuditatem operire conati sunt primi parentes, sicut explicat D. Ambrosius, lib. de parad. c. XIII. « Facit supra se folia, inquit, qui culpam velare desiderans, aut diabolus delicti memorat auctorem, aut carnis præterdit illecebras, aut alium quempiam persuasorem prodit erroris. » Quam ob causam forsitan Dominus arefecit ficum illam, quæ folia tantum habuit, quasi ultionem sumere volens de foliis illis ficus, quibus se operuerunt protoplasti.

IV. Figulinam, quæ rotæ beneficio ex luti massa celerrime novit effingere quaecumque vas volueris. Hæc enim quid est, nisi celeritas fingendi omnis generis mendacia ad se defendendum, purgandum, eximendum a patrato scelere? Ea vero communiter unius voculæ: *Non putabam*, utitur beneficio, et quascumque objectiones refellit, verbi gratia, deprehenditur in horto filius devorasse uvas e vite decerptas. Et cur hoc, inquit parens? Putapam esse pruna silvestria, inquit filius. Dormit servus mane usque ad nonam: objurgatus ob id ab hero: Putapam esse primum sextam, inquit. Fur in aurifabri officina deprehensus et interrogatus, quomodo alienas ædes effringere ausus esset? Putabam, inquit, me non deprehendum. Apposuerat hospes duobus placentas; alter mature accumbens omnes devoravit. Tum qui serius accubuit: Quænam hæc, inquit, voracitas? Cur mihi reliquum mihi fecisti? Putabam, ait alter, te laborare dentibus. Talia sexcenta promptum est fingere, iis, quibus mentiri est consuetum, vel leve ac nullum peccatum reputatur. Bene Seneca, lib. II. de ira, c. XXXI. ait: *Turpissimam aiedat Fabius, imperatori excusationem esse non putari. Ego turpissimam homini puto.* Hujusmodi mendacii figulus erat Amalecites ille, qui nuntians Davidi mortem Saulis, finxit se rogatum ab eo necem ei intulisse; pro honore igitur occisus est, II. Reg. 1.

V. Pictoriam, quæta umbratica lineamea

vivis coloribus illustrare novit, et sæpe rem tam ad vivum efformat ut jures non imaginem, sed rem ipsam esse, quæ depingitur. Ad perdicem a Protogene in Rhodo depictam advolarunt vivæ perdicæ: draco depictus in triumviratu cessare fecit aves cantu, quæ interruptebant somnum Lepido: corvi in theatro Claudii decepti a fenestris pictis, per eas dum avolare vellunt impegunt: equo ab Apelle picto, et in publicum producto adhinnierunt equæ. Idem tam ad vivum aliquos depinxit, ut divinatores ex imaginum figura et lineamentis divinarent eis vitam et mortem. Refert Plinius, lib. XXXV. cap. X. Stob. lib. XIV. Denique pictores communiter rem pulchriorem effingunt, quam reipsa sic. Hanc artem docet dæmon, rem scilicet quæ narratur ita illustrare, fucare et adornare, ut jures ita se rem habere. Didicit hanc artem Cain satis tempestive, qui ut fratrem neci daret, evocavit ad deambulationem quasi amice cum fratre locuturus: *Egrediamur foras*, inquit, foras igitur ductum occidit. Qui cum deinde a Deo interpellaretur de fratre. « Ubi est Abel frater tuus? Tum Cain anxius, inquit Josephus, lib. 1. antiquit. cap. II. nec habens quod responderet Deo, primum se quoque demirari ait, qui factum sit quod frater nusquam compareat. Instante vero Deo et accuratius inquirente, jam commotior negavit se pædagogum fratris aut rerum ejus observatorem esse. Vide fucum, vide colores. Non minus erudito fucò palliavit mendacium suum Rahab, quæ absconsis domi suæ exploratoribus Hebræorum, regiis satellitibus eos quærentibus respondit: *Fateor venerunt ad me sed nesciebam unde essent, cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt, nescio quo abierunt; persequimini cito* (ecce fucum) *et comprehendite eos*, Jos. II. Huc pertinet Joab qui dum Amasam osculatur et salutatur amicum: *Salve mi frater*, interim pugionem lateri ejus infixit, II. Reg. XX. Judas osculo tradens Christum; Simeon et Levi, qui cum locuti essent pacifica Hemor et Sichem filio ejus, promississentque amicitiam et connubia, si circumciderentur, tertio die ad eos ingressi ingentem ediderunt stragem, Genes. XXXIV. Gabaonitæ, qui insigni astu persuaserunt Josue, se nil cum Chananeis habere commune, longe ab eis dissitos esse, Jos. IX. itaque deceperunt ducem alioquin prudentissimum.

VI. Victoriam, quæ vascula dissoluta et perflua circulis adactis constringere et firmare novit, ut solida persistent, et contineant liquores. Hanc artem exercet mendax cum perjuriis addit mendacio, quo id velut vas fragile et suapte vanitate brevi dissolvendum, solidat et confirmat, quo fidem apud alios inveniat; cir-

culum voco perjuriis, quia in illo Deus, qui circulus est incomprehensibilis (cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam, ex Empedoclis sententia) in testimonium adducitur: ligneum vero, quia falso et impie adducitur. Vi adigitur hic circulus mendacio, quia audaci et præfracto animo timida vox perjuriis prodit. Cæterum uti circuli illi sæpe dissiliunt, si aridi aut alteri defectui sint obnoxii: ita perjuriis sæpenumero resilit in perjuriis, maximo ejus damno. Refert Polydorus Virgilius, lib. VIII. hist. Angl. comitem quemdam Godwinum in mensa, dixisse: *Si mentiar, hic ipse bolus me strangulet.* Dixit et factum est, panis bolo suffocatus est. Audiamus aliud exemplum a Germano, quodam jurisconsulto scriptum, lib. 1. de lamiis, apud Mart. Delr. lib. III. disquisit. p. 1. quæst. VII. f. 1. his verbis: « In Saxonia virgo opulenta formoso juveni, at tenuioris fortunæ, matrimonium promisit. Hic quid futurum prævidens, illam prædivitem, et sexus ratione mutabilem, fidem vix servaturam esse, puellæ respondit. Illa contra diris se execrari his verbis cœpit: Si alteri, quam tibi nupsero, tunc me diabolus in nuptiis illis abripiat. Quin fit? Post intervallum aliquod mutat animum, nubit alteri, priore sponso spreto: qui eam semel atque iterum promissi, diræque imprecationis admonuit. Sed illa posthabitis his omnibus, nuptias cum altero sponso, relicto priore, celebrat. Ipse die nuptiali, cognatis, amicis, et convivis hilaribus, sponsa, vigilante conscientia redditur tristior solito. Tandem diaboli duo sub specie duorum equitum, in ædes, nuptiales, adveniunt, excipiuntur, adducuntur mensæ, hisque remotis choreæ, unigue ex his sponso honoris causa, tamquam peregrino adjungitur; cum qua bis saltavit, et tandem ea e conspectu parentum et amicorum, summo cum gemitu et lamentatione, per ostium in altum sustulit. Altero die parentes et amici mœsti sponsam quærunt, ut delapsam forte sepelirent: sed ecce iidem socii occurrunt, vestes et aurum referentes, additis his verbis: Non in has res, sed in sponsam a Deo nobis fuit potestas concessa. » Sic illa corpore et anima diabolo tradita, quæ promissionem nuptiarum violavit, et imprecationem additam contempsit.

VII. Histrionicam, eujus est verborum lenocinio et totius corporis varia agitatione populum lactare, suspendere, delectare, ad risum et applausum commovere: nihil interim serio agere. Hanc artem docet magister et pater mendaciorum, dum, incitat discipulos suos, ut voce quidem ad placitum aliorum et applausum loquantur eosque lactent et delectent, ficto tamen animo et averse corde. Fallacibus enim blanditiis dia-

velant, et oris suavitate inducunt, ut quam suavissime fallant. Unde Sapiens, Prov. XI. *Simulator ore decipit amicum suum.* Sic Laban, abeuntem Jacobum generum suum quem ministro vultu jam cœperat aspicere, (Gen. XXXI.) velut fugitivum insecutus, ubi comprehendit: *Cur, inquit, ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio et canticis et tympanis, et citharis? Itane, o Laban, quem ægre domi sustinebas? Uti canem e culina vel templo, credo, deducere volebas. Mel in ore ostentas, sed non procul inde aculeum geris, quem infingere parabas.* Sic Absalon ut populum ad novarum rerum studium incitaret, et in legitimum suum dominum concitaret: *Mane consurgens, stabat juxta introitum portæ, et omnem virum, qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat ad se et dicebat: Videntur mihi sermones tui boni et justis, sed non est qui te audiat constitutus a rege, etc. Sed et cum accederet ad eum homo, ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens osculabatur eum*, II. Reg. XV. Verum quid hoc suo histrionico lenocinio lucratus tandem scit, scimus. Nihilo melior fuit Herodes Ascalonita, qui dicebat magis: *Ite et renuntiate mihi ut ego veniens adorem eum; (Christum) mactare enim parabat, non adorare, ut postea patuit.* Idem ipse Aristobulum, conjugis suæ Mariamnes fratrem pontificem declaratum convivio peracto in opportunum locum magna comitatu pertraxit: « Ostenditque separatim in ejus gratiam juveniliter colludere; cumque loci ejus natura esset æstuosior, cito defessi relicto lusu, magnis piscinis quæ ibi circa aulam erant imminentes, frigus captabant meridiano tempore, ac primum spectabant natantes quosdam e sociis et famulis: deinde postquam provocante Herode adolescens quoque eis se miscuit, amici quibus hoc datum erat negotium, deprimentes eum natantem, et quasi per lusum ac petulantiam mergentes non prius destiterunt, quam omnino aqua præfocatus sit. » Ita Josephus, I. XV. antiq. c. III.

VIII. Imposituram magicam, quæ novit suis præstigiis hominibus imponere et illudere. Fuit in aula reginæ Anglicanæ magus, qui alteri itidem mago hanc stropham texuit. Jussit eum prospicere per fenestram; quo facto, ejus capiti cervina affinxit cornua, ut non posset caput retrahere, sed ita fenestræ affixus, ludus et fabula populi aspectantis fieret. Refert Maiolus, tom. II. canic. coll. III. Pleni sunt his technis magi. Hos vero imitantur qui calumniam alteri struunt. Est enim *calumniæ falsa et malitiosa criminis impositio*, ut ait D. Thomas, II. II. q. LXXVIII. art. III. Itaque calumniator talia quæ-

dam cornua homini imponit minime illi debita dum affingit crimina, quibus deludatur, et famæ vel alterius boni damnum incurrat. Profecerunt in hac arte insigniter improbi illi senes, qui calumniam excogitarunt in castissimam Susannam, quasi cum juvene consuevisset, Dan. XIII. Siba servus Miphiboseth, qui occurrens Davidi filium Absalonem fugienti, iniquissime detulit dominum suum, quasi is tunc speraret restituendum sibi regnum patris sui, Davidi adimendum, II. Reg. XVI. famula Saræ, quæ calumniabatur eam attulisse necem septem maritis, Tob. III. Judæi dicentes Christum habere secum dæmonium, Joann. VIII. meretricula illa, quæ a malevolis immissa S. Gregorio Thaumaturgo calumniam struxit, suo se quæstu post patratam libidinem ab eo fraudatam garriciens. Cui Gregorius numerari quidem pecuniam jussit quasi reus fuisset, ne utilem sermonem interturbaret. Verum mox a dæmone obsessa, spumare, capillos sibi evellere, corruere, os fæde contorquere, oculos invertere cœpit, eoque gestu calumniam fateri: tandem precibus Gregorii a dæmone liberata est, Sur. tom. VI. die 17. septemb. Denique, impurus ille, qui Mariam, cui nomen Dolorosa, in Belgio de libidine frustra tentatam, furti falso accusavit, adeoque in carnificis manus impedit, ultimo affectam supplicio. Itaque a dæmone occupatus, et toto septennio vexatus, tandem ad sepulcrum illius Mariæ libertatem consecutus est, Jo. Molanus, in natal. ss. Belgii, 18. junii.

Vidimus quas artes doceat spiritus mendacii. Superest, ut scholam pessimi hujus magistri fugiamus, auditores: nisi quis velit ex hac schola descendere potius quam ascendere. E schola spiritus veritatis ascenditur ad cælum: e schola spiritus mendacii descenditur ad infernum.

CONCIO VII.

TRES FUNICULI SALUTIS DE QUIBUS ARGUIT SPIRITUS SANCTUS MALOS CHRISTIANOS.

I. Amor seu beneficia. 1. Incarnationis. 2. Doctrinæ. 3. Exemplorum. 4. Redemptionis. 5. Adoptionis. 6. Perpetui meritorum thesauri. 7. Eucharistiæ: hinc arguit nos Spiritus s. de peccato. — II. Pudor ob exempla sanctorum: hinc arguit nos Spiritus s. de justitia. — III. Timor judicii et gehennæ: hinc arguit nos Spiritus s. de judicio.

THEMA.

Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia et de judicio. Joann. XVI.

Quando Lamech genuit Noe, dixit: *Iste consolabitur nos, et idcirco vocavit eum Noe, id est,*

consolatio. Sed quomodo putamus consolatore esse fuisse Noe? Forsitan ille perditum illud sæculum consolabatur, ut essent hilares, ederent, biberent, uxores ducerent? Forsitan quia vinum plantavit, ut homines se eo inebriarent? Non sane, non fuit talis consolator Noe. Præco penitentia fuit, et comminabatur hominis perditis imminens diluvium quod post centum viginti annos futurum prædixerat illi Dominus, ut penitentiam prædicaret. Imo tota illa arcæ fabricatio, in qua centum annis laboravit Noe, nihil aliud fuit quam penitentia prædicatio et reproborum increpatio; siquidem ad evitandum diluvii interitum destinabatur. Spiritus sanctus in hodierno evangelio vocatur et ipse *paracletus* id est, *consolator.* Sed qualis sit consolator, mox subjungit Dominus: *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* Ecce qualis consolator. Nimirum ad instar Noe prædicat nobis penitentiam per sacras litteras, per libros pios, per concionatores, per exempla bona, per internas inspirationes, et sedulo hortatur ut fabricemus nobis navim penitentia (quam ipse in plurimorum cordibus ædificat) quo judicii extremi diluvium evadamus. Non est igitur consolator noster ille, qui loquitur nobis placentia, qui tegit et præterit nostra scelera; sed qui ea increpat, qui nos arguit, qui ad penitentiam et virtutem compellit, hic consolator, hic Noe et paracletus est. Igitur si in diluvio illo perire nolumus, non claudamus aures huic præconi, patiamur et exoselemur illius increpationem, ejusque hortatu nobis provideamus.

Ecclesiastes, cap. IV. ait: *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Cui doctrinæ conformare voluit se Deus, quando tres adhibuit funes ut traheret se ad hominem eosque robustissimos: amorem, pudorem et timorem; quæ tria indicasse Dominum in hodierno evangelio, sentit Stephanus, in id Malach. 1. *Si ego Dominus, ubi est timor?* Amorem, alliciendo nos beneficiis et promissis: pudorem, excitando nos exemplis sanctorum, timorem, compellendo nos minis et terroribus. Et hæc tria indicantur Luc. XIV. ubi ad cœnam primo, invitantur hospites, quia parata sunt omnia: secundo, mittitur alius servus, qui introducat eos: tertio, mittitur alius qui compellat intrare. Primus amorem, secundus pudorem, tertius timorem significat, ut merito arguere nos possit Spiritus sanctus, si tria hæc vincula ruperimus.

I. Adhibuit Christus amorem, invitando nos ad se beneficiis in primo sui adventu. Ut enim taceamus beneficia creationis et conservationis, quibus nos e nihilo ad sui imaginem, orbis et eorum quæ in illo sunt imperatores fecit, sus-

tentat et conservat, etc. de quibus merito etiam arguere nos Spiritus sanctus potest: peculiaris illa memoremus quæ a Christo obtinemus. Et primo, beneficium incarnationis, quo Deus ad nos misit Filium suum. Secundo, beneficium doctrinæ, quo nos viam Dei in veritate docuit; quod fecisse Christum ipsi ejus adversarii testati sunt: *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Et quomodo eam docere nonne potuisset, cum esset Dei Filius? Jam vero non ingens est beneficium, quod Deus legem scripturam et viam cœli per proprium Filium docere nos voluerit? Non docuit ita gentes olim, sed per creaturas tantum, rudi litteratura, legem nature subobscure eis insinuavit per lumen nature et creaturas. Non ita Judæos, quibus per prophetas et quandoque per angelos locutus est, mysteria redemptionis et fidei per figuras tantum indicavit: *Novissime autem locutus est nobis in Filio suo,* per quem habemus tot insignes libros, concionatores, miracula, quot in nullis retro sæculis fuere. Jam vero si gentiles dicit apostolus ad Rom. 1. esse inexcusabiles quibus tamen per creaturas tantum lex innotuit: quis excusabit nos?

Tertium, beneficium exemplorum, ut nos vitæ suæ sanctitate ad virtutem traheret: id quod accurate præstitit Christus, quanta enim illa paupertas, nasci in stabulo? Non recipi in diversorio? Quanta miseria, pati mox persecutionem ab Herode? Quanta humilitas, latere per triginta annos inter homines, quasi nihil pluris quam homo et quidem ignotus esset? Quanta animarum zelus, reliquum vitæ consumere perpetuis prædicationibus, vigiliis, orationibus, jejunis, itineribus, lassitudine, frigore, æstu, fame, siti propter lucram animarum? Quanta misericordia, quibuscumque infirmis sanitatem impertiri, esurientes pascere, ignorantes docere, mortuos suscitare, peccatores absolvere et recipere? Quanta charitas, etiam inimicis benefacere et pro illis orare? Quanta humilitas, ad ægrorum ædes vocatum descendere, pedibus solum incedere, discipulorum pedes lavare? Jam vero quis nescit quam efficacia sint exempla ducum ad provocandos subditos?

Quartum, beneficium redemptionis a peccato et morte æterna, per passionem et mortem suam, quod omnia alia superat beneficia divina. In aliis enim Deus dedit nobis sua, in hoc autem seipsum. In aliis communicavit nobis doctrinam et virtutem suam; in hoc vero etiam vitam suam, qua charitate major non est, Domino teste. In aliis fecit pro nobis plurima, in hoc vero passus est quod longe difficilius. Certe Moyses et Elias loquentes cum Christo in ejus transfiguratione, beneficium hoc vocabant ex-

cessum, Luc. IX. Non excessit Christus in victu, quia jejunavit quadraginta diebus: non excessit in vestitu, quia non nisi duas pauperes tunicas habebat: non excessit in somno, quia erat pernoctans sæpe in orationibus; non in opibus cumulandis, quia non habebat quo caput reclinaret. Excessit igitur in solo amore, dum ipse prior pacem nobis obtulit, qui petere debebamus: pro nobis satisfacit, cui satisfacere debebamus: et cum una sanguinis gutta satisfacere potuisset, voluit totum effundere et innumeros cruciatus ac supplicia perferre, ut suum erga nos amorem testaretur. Inde tam copiosum nobis effudit gratiæ fluvium in sacramentorum institutione. Tantum est hoc vinculum ut de eo dixerit Christus: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Sed o Deus, cum sciamus te pro nobis exaltatum, adhuc reluctamur et trahi ad te nolumus!

Quintum, beneficium adoptionis et jus ad vitam æternam. Non enim solum condonavit nobis culpam et pœnam, sed præterea adoptavit nos in filios et hæredes regni sui. Satis liberaliter et præclare nobiscum egisset Deus, se condonato peccato reliquisset nos in statu nature, et pro mercede dedisset nobis statum angelicum, qualis angelis est naturalis. (Quanta enim res est, esse similem angelis immortalitate, agilitate, impassibilitate, sufficientia sui, exacta rerum omnium scientia?) Verum immensa illa bonitas supra has naturales dotes longe nos exivit, dum etiam filios et hæredes regni sui fecit.

Sextum, beneficium perpetui thesauri meritorum Christi, quibus, quoties volumus, abluamur a peccatis, et reconciliari Deo possumus. Quis pater, non dico princeps, ita clemens est ut paratus sit remittere quæcumque crimina quotiescumque committuntur? Vix reperias, qui bis vel ter ignoscat.

Septimum, beneficium eucharistiæ quæ est sacrificium et alimentum nostrum, in quo possumus merita Christi quodammodo edere et bibere. Unde merito exclamat S. Chrys. hom. LXI. ad pop. Antioch. *Heu mihi, quot ad salutem nobis via? Nos corpus suum effecit, nobis suum communicavit corpus, et horum nos nihil a malis avertit.* Propterea igitur primo, arguit nos Spiritus sanctus de peccato, quia non credimus in Christum, hoc est, quia vel non credimus saltem firmiter, vel non credimus fide viva: hoc enim est credere in Deum. Nam ex S. August. tract. XXIX. in Joann. credunt Deum, qui credunt Deum esse: credunt Deo, qui credunt dicenti: credunt in Deum, qui in eum ut finem ultimum cum intellectu et voluntate feruntur, per fidem et amorem. Jam, quod hæc tanta in-